

et Sp. S. Art. II. p. 10. quae uerba sic interpretatur APOLOGIA: certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad paruulos. Neque uero pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec uerbum, nec Sacramenta sunt, Art. IV. p. 156. ad Art. A. C. IX.

ut nihil hic  
Weigeliani  
dicant,

uti solide  
Hoepffnerus  
docet,

adstipulan-  
tibus Do-  
ctoribus  
aliis.

XVIII. Nulla autem nobis infligunt uulnera tela *VVeigeliano-*rum, obicientium: Infantes, tam Ethnicorum, quam Christianorum, Spiritu S. in matris utero baptizari; clypeus enim Verborum Christi: *Qui non crediderit, iam iudicatus est*, Ioh. III. 18. it. 5. 6. Marc. XVI. 16. depellit. Huc spectant quoque *HOEPFNERI* uerba: *Infantes in Gentilitia nati, iuste damnari, propter peccatum Originis, quod in ipsis non expiatur, cum careant baptismo et christianis Parentibus, qui in casu necessitatis precibus suis apud Deum infantes suos ordinario hoc medio uidelicet priuatos, per mortem praeposteram, Deo commendant, in LL. Loc. XXIX. §. 6. p. 426.* Obiectio: Si uero impii sunt apud nos Parentes, qui preces intermittant, tamen saluantur, nihil ualet. Supplet enim Ecclesia, quod ex impietate Parentum cessat, quod apud Gentiles non fit. Stat itaque σοιχείω Theologorum adhuc sua ueritas: Extra Ecclesiam non est salus,

*Non Pater in coelis, cui non Ecclesia mater.*

Haec quoque est sententia Patrum, *AVGVSTINI*, L. I. de fid. ad *Petr.* C. 27. conf. *Enchirid.* C. 92. *AFFELMANNI*, P. I. *Disp.* XXIX. p. 865. *PAVLI TARNOVII*, in *Comment.* in *Iob.* III. p. 265. *seqq.* *LVTHERI*, T. IIX. *Altenb.* p. 57. *DVNTE*, in *Casibus Conscientiae*, p. 475. *HVLSEMANNI* aliorumque, qui recensentur a *Summe Venerabili DN. PRAESIDE*, in *Tr. de Praed. et Reprob. Infantium*, p. 105.

### C A P V T III.

D E

#### DIFFICVLTATIBVS QVIBVSDAM, SENTENTIAE NOSTRAE OPPOSITIS.

Obstantia  
quaedam  
et difficilia  
adhuc ur-  
gent:

**I**n hac intricatissima atque multis difficultatibus obsepta quaestione, de salute Gentilium, paulisper adhuc nobis commorandum, atque, quod ferendum de illis iudicium, ob uarias concurrentes causas, paucis  
I) de mentis dispiciendum est. Si enim quaeritur, an aliquis, qui ob hebetudinem  
mentis